



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XVIII. De attentatis, & de exceptione litis pendentix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

tatum, sed bene illa non afficiunt non citatum, qui tutus de jure suo quiescere potest, ideoque si voluntarie vult ad causam venire, sibi imputet, si faciat acta sua; Atque in hoc rigorose, & circumspicte procedendum est, ut occurratur fraudibus, & calumniis, pro litibus aternandis, quoniam postquam victus, vel vincendus, victorem diu cum lite defatigavit, ut ita posset curare admissionem alicujus consortis, ut ex integro lis assumeretur.

Si vero sit jus, vel interesse individuum; Et tunc tertius admittitur ad causam, non cogitur stare actis gestis cum consorte, ex ratione eorum nullitatis etiam respectu ejus, cum quo gesta sunt, ex regula, quod in individuis, omisso citationis unius ex principaliter interessatis, vitiat processum; & acta, etiam respectu eorum, qui citati fuerunt, sibi que imputet Actor, cur omnes principales, & coaequales causas defensores non evocavit; Unde propterea exemptio tertii veniens, ab obligatione faciendi acta sua, provenit ab eorumdem actorum nullitate, dum habenda sunt perinde, ac si gesta non essent.

Dum modo tamen ille, cujus evocatio omissa est, habeat jus principale, & coequale, adeo ut ad ipsum aequè principaliter causa defensionis pertineat; Secus autem si jus, & interesse sit accessorium, & consequitivum, ut exemplificando in prophanis, interesse coequale dicitur illud coheredis, accessorium autem dicitur illud fideicommissarii sperantis successionem; Atque exemplificando in spiritualibus, si (ex.gr.) agatur de jure vel jurisdictione Ecclesiae Cathedralis, interesse coequale, & aequè principale, est illud Capituli cum Episcopo, quoniam ex eis simul junctis constituitur corpus formale, sive intellectuale cathedraliticum, ab Episcopo, sc. tanquam capite, & a Capitulo tanquam reliquo corpore; Et consequenter in juribus individuis, quae consistunt in jurisdictionibus, & praeminentiis, gesta cum solo Episcopo, non tenent ex defectu citationis Capituli, vel e contra; Secus autem ubi agatur de donis vel juribus, quae licet habitualiter sint Ecclesiae, quam aequè representant Episcopus, & Capitulum; At tamen ea sint divisa, quia nempe alia sit mensa Episcopi, & alia sit mensa Capituli, quoniam tunc sufficit agere iudicium cum eo, ad quem mensa pertinet; Alter vero ex participatione, quam habet in efformatione Ecclesiae dominæ habitualis, dici quidem potest habere sufficiens interesse ad obtinendum admitti ad causam, atque ut admittitur audiari debeat, & ne tanquam non interessatus negligi valeat, sed in statu, & terminis, dum ejus interesse est accessorium, & consequitivum; Idemque (ex.gr.) in clerico, & populo, cujus interfit victoria, vel succumbentia litis jurisdictionalis, vel praemientialis, quam Ecclesia habeat, quoniam est interesse accessorium, & secundarium, cum similibus, ad quae ex istis, pro casuum qualitate, & circumstantiis pro identitate rationis inferri potest, *ut. de jurisd. disc. 2. 18. & 22.*

Atque ex his distinctionibus, pendet decisio alterius quaestionis, an & quando tertius impediat expeditionem causae, vel executionem, vel det de attentatis, cum ista dicantur connexa, atque tendentia in idem. *de tertio impediente, vel non impediente executionem Add. ad Buratt. dec. 833. Caval. dec. 305. add. ad Vestr. l. 5. c. ult. dec. 48 par. 7. rec. Franch. & add. decis. 261.*

Hinc proinde ista theorica ita constituta; Iuxta Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

xta ferè omnium forensium quaestionum naturam, majores controversiae, consistunt potius in facto, quam in jure, super applicatione sc. dictae theoricæ ad casum, & quando interesse dici valeat coequale, & aequè principale, sive quando agatur de re dividua, vel individua, Id autem aptum non est certam regulam recipere, cum pendeat ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, ut in progressu, pro actorum qualitate inferri advertitur, & praesertim in rubrica nullitatum, ac in altera executionis, & subhastationis, ac alibi.

Quamvis autem tertio admissio ad causam in statu, & terminis obstant omnia acta, perinde ac si cum eo gesta essent ut supra, & consequenter etiam sententiae, quamvis sint plures, ad faciendum earum numerum; Non tamen obstant res judicatae, sive tres conformes, adeo ut sibi praclusa sit illa appellandi facultas, quae praclusa est principali victo, sed admittendus est ad appellandum. *dec. 304. par. 5. rec. Caval. dec. 397. add. ad Buratt. dec. 833.* Adhuc tamen circumspicte in hoc procedendum est, inspiciendo quale sit tertii jus, vel interesse, & an abusu suspicio fraudis, vel collusionis, quia se victus appellare impeditus, ita curet fraudulenter tertiu supponere.

De attentatis, & de exceptione litis pendentiae.

S V M M A R I V M

- 1 **A**ttentatorum materia frequens, & quare.
- 2 **A**ttentatorum suspensio causam principalem.
- 3 De errore causidicorum in partibus.
- 4 Super quibus cadant attentatorum quaestiones.
- 5 Attentans debet omnia restituere in pristinum, ac etiam restituere fructus, omniaque rescire damna, & interesse.
- 6 Ac etiam expensas, & quales.
- 7 Quae mora in hac materia cadant.
- 8 An detur appellatio suspensiva.
- 9 Datur manusuentione loco purgationis.
- 10 Sequitur purgatione, ille qui attentata passus est, potius mora parat.
- 11 In illis quae sint liquida, integra purgatio omnino est necessaria.
- 12 Quod in illiquidis praticetur.
- 13 De recursu ad Signaturam pro reiectione.
- 14 De differentia inter Signaturam Gratiae, & illam Insitiae.
- 15 Quomodo in hoc rescribi soleat.
- 16 De eodem quando id remissum est arbitrio, pro istius regulatione.
- 17 De eodem circa qualitatem attentatorum.
- 18 Quando etiam in attentatis claris, & culposis detur suspensio.
- 19 Quare Signatura gustare soleat de meritis.
- 20 De distinctione inter attentata scandalosa, & non scandalosa.
- 21 Circa fructus facilius datur suspensio, & ex qua causa.
- 22 Quomodo materia decidi debeat.
- 23 De clausula purgatis attentatis, vel aliis per absolutum absolutum.
- 24 De alia clausula cum facultate revocandi.
- 25 Ex quibus regulatio pendeat.
- 26 De tribus speciebus attentatorum.
- 27 Quales dicantur attentata juris tantum.
- 28 Quando gesta post interpositam appellationem, vel pendente termino, sint attentata.

- 29 *Etiā in causis in quibus non intrat appellatio, dantur attentata ratione iniustitia.*
- 30 *De attentatis lite pendente, cuius natura sint.*
- 31 *Lis coram Iudice incompetente non causat attentata.*
- 32 *De triplici identitate requisita.*
- 33 *De liti extinctione per peremptionem instantia.*
- 34 *De iure canonico non perit instantia.*
- 35 *De desertione liti hoc iure attentato.*
- 36 *Quando extinguatur ob mortem colligantis.*
- 37 *De attentatis contra inhibitionem.*
- 38 *De regula quod inhibitiō sive iusta, sive iniusta est timenda.*
- 39 *Iudex ex officio revocat attentata etiam si pars non curet, vel cedat.*
- 40 *De revocatione attentatorum post rem iudicatam.*
- 41 *Quando inhibitiō non causet attentata ob clausulas.*
- 42 *Item ob clarum defectum iurisdictionis.*
- 43 *De conclusione, quod qui continuat non attentat eiusque limitatione.*
- 44 *De altera limitatione huius conclusionis, ubi inhibitiō sit super ipsa continuatione.*
- 45 *Quandoque mandatur videri de bono iure.*
- 46 *Quando cesset purgatio, & praesertim si processum est in negotio principali.*
- 47 *Per quantum tempus, & quomodo attentata praescribantur.*
- 48 *De eodem.*
- 49 *De mutua compensatione attentatorum.*
- 50 *De attentatorum iustificatione.*
- 51 *In dubio pro eorum exclusione.*
- 52 *De pluribus excusationibus, puta in causa diversa, vel extra rem litigiosam.*
- 53 *An ex facto procuratoris incurrantur attentata.*
- 54 *Gesta pendente recursu ad Signaturam vel post supersessoriam sunt attentata.*
- 55 *An attentata efficiant successorem.*
- 56 *An tertius det de attentatis, vel ista eum efficiant.*
- 57 *An Papa attentet, & quid in litterarum Apostolicarum executione.*
- 58 *An decretum revocationis attentatorum sit definitivum, vel interlocutorium, & an attentans appellet.*
- 59 *Quando attentata sint dubia, & negari valeant, vel excusentur.*
- 60 *Quomodo Iudices, vel Consules debeant se gerere.*
- 61 *De aliis ad materiam remissivis.*
- 62 *An sententia super revocatione attentatorum sit definitiva, vel interlocutoria.*
- 63 *An haec revocatio petatur post conclusum in causa.*
- 64 *An appellatio extrajudicialis causet attentata.*
- 65 *Excommunicatus etiam dat de attentatis.*
- 66 *Ad quem Iudicem spectet revocare attentata.*
- 67 *Quando dicantur purgata, & an renunciatio sufficiat.*
- 68 *Non dat de attentatis lite pendente ille, qui forum declinavit.*
- 69 *Attentata equiparantur spolio violento.*
- 70 *An actus consequutivi sint attentati.*
- 71 *Gesta post decem dies ad appellandum, an sint attentata, si victus sit contumax, adeo ut etiam post terminum liceat appellare.*
- 72 *Quando attentata pendens à negotio principali, de isto est videndum.*

DISC. XVIII.

Nihil fortè in Curia frequentius agitur, quàm ista materia attentatorum; Vel ob Ipreum inhibitionis; Vel ob gesta coram diverso Iudice lite pendente; Magis verò ex opinione, quod sententia, vel decreta, suspensivam appellationem non admitterent, ob executionem, quæ illico intra terminum appellationis, vel post eam interpositam, fieri solet.

Nimium autem, Reis, ac possessoribus qui succumbentiam passi sunt, vel timent, expedit in attentatis, eorumque purgatione insistere, ob illorum magna privilegia, illud praesertim, quod attentans audiri non potest in negotio, seu causa principali, ejusque ulterior processus impeditus remanet, ac alias malè procedi dicitur, donec illorum vera, & integra sequatur purgatio, ideoque istud iudicium dicitur privilegium, ac prejudiciale. *Royas decis. 380. num. 2. ubi dicitur regula receptissima qualis revera est, & quotidiana.* Unde propterea huiusmodi incidentes disputationes frequenter causas principales perimere solent, ob alterius colligantis, cui attentatorum crimen obijciatur, mortem, vel defatigationem.

Quare, ubi praesertim causæ aguntur in partibus, posteaque devolvuntur ad Curiam, & praesertim in materia beneficii, vel in altera jurisdictionis, in hac attentatorum inspectione, primæ, ac majores quæstiones, frequentius consistere solent; In partibus etenim, commune vitium est, totam vim constituere, in celeritate, ac immatura executione, quæ non sine violentiis, & scandalis, magnisque sumptibus sequi solet, non advertendo, quod ita potius est, se ipsos proprio ligone percutere, atque æmulum magis confortare; Unde propterea verificatur dictærum, quod nimia, & immoderata celeritas, moras parat, juxta Itali Poetæ dictum, *che per troppo spronar la fuga è tarda.*

Duplicem, itaque inspectionem, huiusmodi attentatorum objecta habere solent; Primò nempe, super ipsorum attentatorum existentia, & an de illis constet, necnè, cum sæpius excusari prætendantur; Et secundò (illis positis) super eorum purgatione, integra, & omnimoda, quæ in tribus consistit; Primò nempe in repositione omnium rerum in statu pristino, ad instar eorum, quæ infra in spolio Rubrica seu inspectione habentur, infra in eo discursu, in quo agitur de interdicto possessorio reintegranda. Secundò in restitutione omnium fructuum, tam perceptorum, quam eorum, quos ille, qui attentata passus est, ostendat percipere potuisse, nisi hoc impedimentum receperisset, ratione damnorum, & interesse, ad quæ attentans tenetur. *Cels. decis. 80. & 133. Dunozett. dec. 825. Buratt. & add. decis. 777. & passim.* Adeo in beneficiis sub nomine fructuum, ex dicta ratione damnorum, & interesse, veniant etiam distributiones quotidianæ, quæ præcisè debeantur, ratione interesse, ac servitii personalis, quamvis istud præstitum non esset, eodem modo quo veniunt in casu spolio, vel alterius iniusti impedimenti. *Royas decis. 173.* Et tertio, in restitutione expensarum, sub quarum nomine veniunt, non solum expensæ judiciales, ad quas victus victori condemnari solet (& quæ in Curia, riva, appellantur, de quibus infra in eorum peculiari discursu) sed etiam veniunt omnes aliæ, extrajudiciales, vel accidentales, quæ in Curia, ad differentiam judicialium, *mortuus* dicuntur; Ut (ex. gr.) sunt illæ, Advocatorum, Procuratorum sollicitatorum, copistarum, & quandoque viaticorum, aliarumque expensarum, puta pro accessu ad Urbem, pro tacti qualitate, ex dicta ratione, quod non veniunt tanquam expensæ iudicii, sed tanquam damnæ, & interesse. *Cels. decis. 80. & 133. Royas. dec. 344. Bich. dec. 534. Duno. d. dec. 825.*

Quia verò ille, qui attentata passus est, puta per ejectionem à sua possessione, in beneficiis, aliisque incorporalibus, vel per executionem

nem bonorum, quæ secum trahit eandem ejectionem, duplex habet interesse, circa attentatorum purgationem; Primò scilicet, ac principaliter, pro repositione rerum in pristinum, suaque reintegracione in possessione; Et secundo, super dictis refectionibus fructuum, ac expensarum, & interesse; Verùm de his refectionibus, antiqui possessores, postquam reintegrati fuerunt in possessione, ac primævo statu, non solent esse multò solliciti, sed potius moras parare student, cum id deseruiat ad se confouendum in possessione, atque ad impediendum æmulo prosecutionem causæ principalis, in qua potius timorem, quam spem concipiunt.

Ordinaria ac directa via purgationis attentatorum, qua antiqui utebantur est, cu sententiis, vel decretis quæ desuper fiant super repositione rerum in pristinum, ac reintegracione prioris possessoris, Sed qua hæc moras parere solet, presertim ex eo, quod hujusmodi sententiæ, vel decreta, suspensivæ appellacioni subjacere videntur, ob implicitam declarationem existentie attentatorum, per alteram partem negatæ, unde propterea Practici dicunt, quod non appellant a purgatione attentatorum, præsupposito quod illa ad sint, sed appellant a mala declaratione eorum existentie, quæ negetur. *infra num. 58.*

Hinc proinde, pro magis celeri purgatione obtinenda, inolevit media cautela, procedendi per viam extraordinarii remedii summariiissimi possessori retinenda, seu manutentionis, quod ubi in forma summaria & per simplex decretum interlocutorium conceditur, non admittit appellacionem suspensivam, sed ex recepta praxi recensetur inter judicia executiva, & privilegiata, dum illud est unum ex remediis purgationis attentatorum, ex ea ratione, quod attentata complicant nullitatem, ac manifestam injuriam eorum, quæ gesta sunt, & consequenter bene intrat hoc remedium, quod hodie receptissimum est competere, etiam adversus factum Judicis, quoties istud sit nullum vel notorie injustum, ut infra in hujus remedii particulari sede advertitur. *Cels. decis. 43. nu. 14. decis. 251. num. 2. par. 1. rec. & sequens.*

Postquam verò ille, qui attentata passus est, cum prædicto, vel cum alio remedio, in pristino statu repositus fuit, & ad quem effectum partes solliciti Actoris gerere studuit; Tunc licet eadem Actoris partes continuare dicatur, super ista duplici refectione, fructuum, & expensarum ac damnorum, & interesse; Attamen, (ut dictum est,) pro frequentiori contingencia moras nece-
10 re, atque Rei fugientis partes, sub hoc honesto clypeo, assumere solet, ut ita, juxta artes belli, hostem detinendo in pugna exteriorum fortificationum, atque ita illum defatigando, Civitatem, vel Arcem tueatur, & custodiat; Atque hinc resultat interversio consueti ordinis, quod scilicet debitor insequitur creditorem, eumque sollicitat, ut satisfactiorem obtineat, ad effectam, ut ita removeatur impedimentum super causæ principalis prosecutione.

In hoc autem, pro illa parte, quæ liquida sit, necessaria est vera, & effectiva purgatio integra (ut Practici dicunt) usque ad minimum quadrantem, atque non sufficit oblatio quamvis judicialis, ac munita cum idonea cautione. *Dumoz. dicta dec. 825. Bich. dec. 534. add. ad Buratt. dec. 449.*

12 Ubi verò agatur de parte illiquida, tunc ille, cujus interest purgationem accelerare, ac sequi pro

Card. de Luca de judiciis & judicialibus.

dicto effectu prosecutionis causæ principalis, curat præfigi terminum competentem colliganti, cui resectio faciendæ est ad liquidandum, & quoque termino elapso, ac liquidatione non facta, adeo ut incertum remaneat, quid, & quantum rescindendum sit, tunc admittitur depositum alicujus parvæ summæ, puta unius julii, cum obligatione in actis de solvendo promptè totum id, quod liquidatum fuerit, atque ita ad causæ principalis prosecutionem admittitur, clarius verò ubi causæ commissa sit cum clausula *arbitrio* &c. apud proximè allegatos *Ridolph. in prax. par. 2. cap. 15. n. 68 & 69. add. ad Buratt. dec. 356.*

Quandoque autem, ipsi attentantes recurrere solent ad Signaturam gratiæ, ac etiam aliquando ad illam Justitiæ, pro causarum qualitate, ad effectum obtinendi resectionem attentatorum ad finem litis; Verùm super hoc, certa non habetur regula, cuicumque casui applicabilis, cum totum repositum sit in arbitrio Papæ in Signatura gratiæ, sive in aliquibus casibus Signaturæ Justitiæ, quæ rescribit ejus nomine.

Cum ea differentia, inter unam, & alteram Signaturam, quod ubi agitur de illa gratiæ, in qua ipsemet Papa personaliter præsidet, atque audit, vel non audit, ut sibi placet, voto consultivo Prælatorum, ore proprio rescribit, non est ligatus legibus, ejusque regulis, quibus pro libito derogare, vel dispensare potest, dum istud tribus, proprie est gratiosum, ac dispensativum; Ideoque stylus non est uniformis, sed difformis pro diverso genio, vel stylo Pontificis regnantis, ejusque Auditoris, aliorumque ministrorum sibi assistentium; Alterum verò Signaturæ Justitiæ, quamvis ejusdem Papæ nomine, ac vice, rescribat; Attamen rescribere non potest, nec debet, nisi juxta regulas juris, cui dispensare non potest, ideoque ejus rescripta intelligenda veniunt prout de jure, ut advertitur infra in particularibus sedibus. *dec. 154. par. 12. rec. & in relatione Curæ agendo de utraque Signatura dist. 30. & 31.* in quibus de utraque Signatura agitur; Licet quandoque praxis doceat, oppositum, quod scilicet majorem sibi assumat licentiam Signaturæ Justitiæ, quàm illa Gratiæ.

Pro ea tamen regula, quæ a frequentiori praxi, vel contingencia desumipote est; Quando clara videatur justa causa, quæ mereatur moderacionem rigoris legalis, tunc purè, ac dispositivè concedi solet resectio attentatorum in fine litis; Quando autem è converso causa reputatur minus sufficiens, tunc id simpliciter denegatur, *Nihil* rescribendo; Ubi verò dubium id reputeretur, altiori indagine, vel discussione dignum, tunc rescribi solet in causis presertim Rotabilibus, cu clausula *arbitrio*; Unde propterea assumuntur formales disputationes, cu dubio particulari in rota, an intret arbitrium, atq; ita examinantur causæ, ex quibus illud per attentantem interponi peratur, juxta regulas juris; sex recepta, & quotidiana propositione, quod arbitrium regulandum est à jure, cujus rigorem tamen in aliquo temperat, ne aliàs fatuum, ac inane remaneat Principis rescriptum, *dicta decis. 154. par. 12. rec. add. ad Buratt. dicta decis. 356.*

Pro isto autem arbitrio regulando, sive etiam in ipsamet Signatura, ad effectum rescribendi, necne, Regulariter inspicitur solet, qualitas, vel natura attentatorum, an scilicet illa sint juris tantum, vel etiam facti; Primò enim casu facilius rescribatur, in secundo autem difficilius.

E 3

Verùm

Verum neque ista regula omninò firma est, ac uniformis; quoniam in qualibet attentatorum specie, inspicienda est individua qualitas singulorum casuum, an scilicet, attentata sint clara, vel dubia; Sive an ille, qui attentavit, habeat necne probabile excusationis motivum; adeo ut dici valeat dolosus, vel non dolosus, cum ista circumstantia doli, sive positivi spectus in hoc proposito principaliter considerari debeat; Et in summa, cum istud sit dispensativum beneficium fundatum in æquitate, & in commiseratione, idcirco inspicere debet, an casus, æquitate, & commiseratione dignus sit, tam circa modum, seu qualitatem attentatorum, quam etiam circa paupertatem, vel aliam impotentiam ejus, qui ad purgationem tenetur, ne ita ejus iustitia in negotio principali ob impotentiam ex hoc incidenti suffocata remaneat, ideoque materia arbitraria est, quæ certam non habet regulam. *de his apud Gregor. & add. decis. 361. Baratt. & add. decis. 320. & in aliis locis ut supra Carill. dicta decis. 248. & frequenter, quando pro una, & quando pro alia opinione, cum cum verè sit materia arbitraria non recipiens regulam.*

Habendus quoque venit respectus ad speciem purgationis, cujus rejectio, vel suspensio petatur, quoniam; Aut est circa illum actum, ex quo attentata resultat; Aut circa refectionem expensarum, & fructuum, aliorumque damnorum & Interesse, &c. In prima enim specie, distinguitur, quod, Aut agitur de actu facti permanentis habente tractum successivum, ex quo unus, vel alterius Partis commodum resultet; Et tunc nullatenus concedenda est ista æquativa, & gratiosa suspensio, cum id de directo advertetur æquitati, atque iniquitatem potius redoleret, quod scilicet ille, qui cum vitio attentatorum, in aliqua possessione rei corporalis, vel incorporalis se intrusit, debeat ita in ea, durante lite, se confovere; Hoc etenim nullatenus concedi solet, neque concedendum est.

Nisi quando, ratio publici præjudicii ac etiam magnæ æquitatis, ita suadeat; Puta quoties agatur de aliquo ædificio, quod de stricto rigore juris, attentatè constructum sit, unde propterea, eodem rigore attentato, demoliri deberet, sed quoniam id publico ornatui esset præjudiciale, magnumque pareret damnum uni Parti absque utilitate alterius; Hinc proinde, quando constat de bono jure ædificantis, adeo ut sequuta purgatione, in prosecutione causæ, pro facultate de novo ædificandi judicandum veniret, tunc suspenditur iudicium purgationis, etiam ex ipsius Iudicis officio, quamvis Principis rescriptum non a ccedat; Idemque in similibus casibus, quibus eadem congruat ratio *sub tit. de servit. disc. 7.*

Atque exinde inolevit laudabilis stylus utriusque Signaturæ, gustandi etiam de meritis causæ, quamvis super ipsis iudicari non debeat, ad effectum scilicet regulandi dictum arbitrium, ac inspiciendi, an ob injustitiam causæ principalis, purgatio importet circuitum inanem nec ne.

In actibus autem momentaneis vel facti transientibus, qui attentatè gesti sint, adeo ut differre purgationem, non importet dictum inconveniens, quod attentans se confoveat in attentata possessione, atque continuatum commodum ex ejus delicto reportet; Et tunc inspicitur, an purgatio, scandalum importet, necne, quoniam ubi scandalosa esset, tunc de facili datur ista suspensio, ut (ex. gr.) contingit in exhumatione cada-

veris cum similibus, quibus eadem congruat ratio; Nisi dolus attentantis adeò si clarus, & scandalosus, ut ratione istius scandalis, curandum non sit de altero; Ideoque (ut præmissum est) ista dicitur materia, quæ certam regulam non recipit, sed pro singulorum casuum particularibus circumstantiis decidenda est; Et præsertim circa suspensionis concessionem, quando attentata sint talis naturæ, ut magnam habeant dependentiam à negotio principali. *apud Greg. dec. 276. Bich. dec. 439. sub tit. de matr. disc. 10. ubi declaratur.*

In altera verò specie purgationis, circa fructus, & expensas, magis benignè proceditur, faciliusque conceditur, præsertim ratione paupertatis, vel alterius impotentia, sive ratione vehementis fumi boni juris, adeo ut intret etiam dicta æquativa ratio circuitus inanis; Verum pariter id neque certam regulam habet, cum nimium, ac principaliter pendeat à qualitate attentatorum, an sint facti & juris, vel etiam, an juris tantum; Sive an dolosa, vel non dolosa; Aut an dolus sit major, vel minor; Ideoque firmum est, ut istæ sint quæstiones nudi facti, quæ à singulorum casuum, qualitate, & circumstantiis decisionem recipiunt.

Quare frequenter scribendo super ista materia, in Rota, & in utraque Signatura, quando pro attentantibus, & quando contra, juxta necessarium stylum Advocatorum, Mea fuit consuetudo dicendi idem, quod frequentius, ac indices dicere contingit in materia remissoria, super ejus concessionem, vel negationem, quod scilicet conclusiones, ac decisiones, & doctrinæ, quæ desuper habentur, pro ceremonia, in Advocatorum informationibus allegari solent, ut ignarum vulgus videat, quod sunt informationes juris quæ ita contradistingui solent ab informatione causæ Patroni in factu, sed videtur labor inanis, cum omnes conclusiones, vel regulæ, quæ hinc inde deduci solent, in abstracto sint veræ, sed punctus est in applicatione; Ac propterea, irrisione dignum semper censui, ineptissimum modernum usum, faciendi magnos allegationum cumulos, super hujusmodi conclusionibus, quæ nullam amplius patiuntur difficultatem in puncto juris, dum tota vis restringitur ad applicationem, quæ ex facto pendet.

Ex eisdem autem circumstantiis quoque pendet, quod una, vel altera Signatura, non solum denegare solet attentanti, qui ad eam recurrit, dictam suspensionem, vel rejectionem, sed recurrente eo, qui attentata passus est, ad coercendum omne Iudicis arbitrium, rescribit præcise, super purgatione ante omnia faciendâ per ablativum absolutum; Puta *purgatis attentatis*, quod importat conditionem, cujus virtus, & operatio est, ut adimat jurisdictionem, ac facultatem procedendi in causa, priusquam ista conditio impleatur, Ac etiam infra in progressu, habetur in aliis clausulis, quæ per ablativum absolutum concipi solent; Puta *parito literis*, Vel *parito iudicato*. Aut *non retardata solutione*, Sive *submissis gratis al' mentis*, cum similibus de quibus infra in particularibus discursibus executionis, vel partitionis.

Solet enim Signatura quandoque, ad instantiam ejus, qui præterit fuisse attentatum, signare commissionem cum clausula *cum facultate revocandi attentata*; Verum id videtur idem, ac nihil, atque est quædam exuberans satisfactio imperitorum, cum sit expressio ejus quod de jure in-

est, dum Iudex, ad quam, hanc habet facultatem jure suo.

Cum itaque (ex præmissis,) omnia pendeant à qualitate attentatorum, an scilicet sint juris tantum, vel etiam facti, Sive an dolosa, vel excusabilia; Idcirco, ferè omnes, vel majores quæstiones, quæ de super haberi solent, hunc punctum percutiunt.

Tres autem sunt species attentatorum, prima scilicet eorum, quæ fiant cum auctoritate unius Judicis, pendente lite coram alio; altera eorum, quæ fiant post appellationem interpositam, ejusque prosecutione durante, vel etiam pendente termino ad appellandum; Et tertia eorum, quæ fiant post inhibitionem, atque in ejus spretum.

Priores duæ species, dicuntur Iuris tantum, atque regulariter non dicuntur dolosa, nisi adeo clara sint, ut juris ignorantia vel diversa credulitas, supina, & affectata sit, adeo ut dolum saltem præsumptum redoleat, pro facti qualitate; Præsertim verò in secunda specie attentatorum, post appellationem, vel pendente ejus termino, quoniam pro frequentiori contingentiâ, id sequi solet in illis causis, quæ, vel juxta unam opinionem minus communem, vel pro diverso stylo, in partibus quem Curia non approbat, reputentur executivæ, & non admittentes appellationem suspensivam, ut de opinionum, vel stylo- rum diversitate patet ex singulorum judiciorum sedibus vel discursibus particularibus infra.

In eo etenim puncto, an & quando gesta post interpositam appellationem, vel pendente termino ad eam interponendam, dicantur attentata, necne; Ea est distinctio, An scilicet causa vel sententia sit de sui natura appellabilis, necne; ubi etenim est de sui natura appellabilis ad utrumque effectum, suspensivum scilicet & devolutivum (ut pro regula generali sunt omnes causæ, quæ per speciem limitationis, à jure communi, vel municipali non sint exceptuæ) Et tunc intrant sine dubio attentata; Et converso autem, non intrant, ob solam appellationem vel potentiam appellandi, in causis non admittentibus appellationem suspensivam; Ideoque majores quæstiones esse solent super hujus distinctionis applicatione, an scilicet causa, de una specie sit, vel de altera. *de hac distinctione Buratt. & add. decis. 63. 134. & 902. Bich. dec. 422. & passim.*

Est bene verum, quod etiam in casibus limitatis, verificari potest vitium attentatorum, indirectè, seu consequutive, quando scilicet illa sententia, quæ sit de sui natura executiva, atque suspensivam appellationem non admittat, detegatur nulla, vel injusta, quoniam executio, quæ per legem in sententiis decernitur, intrat, in validis, & justis, cum sententia, nulla, vel injusta, neque nomen sententiæ mereatur, ideoque executione indigna sit, atque appellationem ad utrumque effectum admittat, ac propterea de consequenti intret vitium attentatorum, quæ tamen juris dicuntur, utpotè implicitè & ex juris dispositione resultantia, in qua pars decipi potuit, opinando validitatem & justitiam, & consequenter dicuntur attentata non dolosa, & excusabilia.

Ejusdem naturæ regulariter censentur attentata de prima specie superius distincta, super gestis scilicet lite pendente, nisi tales accedant facti circumstantiæ, ut illa dolosa, & inexcusabilia reddant; cum ex plerisque causis litigantes credere

soleant quod actus geri potuerit, lite non obstante; vel quia ejus legitima introductio negetur, juxta ea, quæ superius ad hanc materiam introductionis litis habentur. *disc. 7.* Vel quia, ob Iudicis incompetentiâ, pro non introducta haberi debeat; puta in causis ecclesiasticis vel spiritualibus, coram Iudice laico, sive coram eo Iudice, in quo aliàs vigeat defectus jurisdictionis, ut præsertim docere solet Curia praxis, in causis beneficialibus coram Auditore Camerae. *tit. de ben. disc. 92. & in relat. Curia, agendo de Audit. Camer. disc. 34.*

Aut quia causa prætendatur diversa, cum ad hunc effectum attentatorum, copulativè requiratur, triplex identitas, personarum scilicet, rei, & actionis, unaque distinctio hanc identitatem tollat. *Buratt. & add. dec. 644. dec. 246. post Zacch. de obl. Cam. Cels. dec. 82.*

Sive quod lis prætendatur extincta, quod de jure civili de facili, ac frequenter est ad praxim deducibile, ob peremptionem instantiæ; Verùm in Curia id nimium rarum est, forteque nunquam verificabile, ob alibi assignatam rationem, quod in Curia servatur dispositio juris canonici, qua attentata instantia est perpetua, & nunquam perit. Et licet detur illa extinctio, quæ resultat à casu, in quo habita fuerit pro derelicta; Nihilominus, nimium rari sunt casus, in quibus id verificetur, cum copulativè requirantur lapsus longissimi temporis triginta annorum, & injustitia. *supra disc. 7. & tit. de benef. disc. 91. & 92.*

Facilius tamen ista extinctio verificabilis est, ob deficientiam unius ex personis Actoris vel Rei, ex quibus iudicium constituitur; Verùm, & id pariter, raro ad praxim reducitur, vel quia verificabile solùm est in causis beneficialibus, vel similibus juribus vitalitatis non transmissilibus ad heredem; Vel quia Apostolica auctoritas cum subrogationis concessione, speciem transmissiois ad successorem inducere solet, cum aliis limitationibus de super cadentibus. *dicto disc. 91. & 92. de benef.* Adhuc tamen præmissa, ubi etiam non subsistere detegantur, talem inducunt excusationem, ut dolum vel malitiam excludat.

Deterior autem, ac regulariter dolosa, & inexcusabilis est, tertia species attentatorum in spretum expressa inhibitionis, cum tunc ad actus positivus criminosis super contemptu præcepti superioris. *apud Bich. dicta decis. 439. & in aliis de quibus proxime infra.*

Et quamvis id excusari soleat ex motivo ejus nullitatis vel injustitiæ, non tamen sufficiens excusatio reputatur, ex vulgari regula quod inhibitiō sive justa sive injusta est timenda; Licet enim attentata origine, seu frequentiori contingentiâ, ista propositio per ora Practicorum volitet in inhibitionibus Rotalibus; Attamen etiam in illis Auditoris Camerae, aliorumque Iudicum ea locum habet, cum eadem sit ratio, quod scilicet in facultate subditi inhibiti, repositum esse non debeat, gerere partes Iudicis in causa propria, atque sibi ipsi jus dicere, judicando inhibitionem injustam, sed adire debet inhibentem, vel alium majorem superiorem, puta Signaturam pro moderatione, atque interim parere, ne superioris majestas contemnatur, atque ita omnis iudiciorum ordo pervertatur, cum prævidentibus molestias, aliàs consultum esse non possit, ut se ab eis tutos reddant, nisi cum hoc inhibitionis re medio. *Cavaler. decis. 544. & 574. Gregor. decis. 119. Buratt. & add. dec. 177. 181. & 652. Bich. dec. 448.*

Ideoque

39 Ideoque rigorosè in hoc proceditur, quod ubi etiam ille, qui attentata passus est, ea dissimulet, atque revocationem non petat, quinimò eis renunciet; Sive quod patiendi procedi ad ulteriora in causa sibi præjudicet; Adhuc tamen Iudex, cujus majestas sprete fuit, ex officio, illorum revocationem demandare potest, atque attentati audientiam denegare, donec purgatio sequatur. *Gregor. & add. dec. 91. & 243. Burat. & add. dec. 406. Bich. dec. 385. in fin.*

Prout circa ea attentata, de supradicta secunda specie, quæ scilicet post interpositam appellationem, vel ejus termino durante, commissa sint, quamvis evanescant, ob subsequenter rem judicatam, quæ resultat à non interpositione appellationis interpositæ, ob lapsum fatalium; Adhuc tamen revocantur ex capite nullitatis. *Orthob. de. 170. Burat. & add. dec. 59. & 72. & in aliis, de quibus proxime infra.* Id autem declarationem recipit ubi exequutio, quæ attentata prætentitur, facta sit, antequam laberetur terminus ad appellandum secus autem si postea, cum tunc exequutio facta dicatur in vim rei judicatæ; Ac etiam si facta sit dicto termino pendente, adhuc tamen superventa res judicata, eam de æquitate, ac ratione inanis circuitus revalidat, si exequutio directa est per ademptionem possessionis rei controversæ, secus autem si indirecta per pignora, vel per incarcerationem, aut censuras. *dec. 295. par. 9. rec.*

41 Hanc autem magis culpofam attentatorum speciem, in sprete inhibitionis, excusare solent clausulæ præservativæ contentæ in eadem inhibitione, sive in commissione, cujus vigore inhibito prodiit, ut contingit in illis commissionibus, quæ in ventre habeant clausulam, sine præjudicio exequutionis literarum Apostolicarum, vel obligationis Cameralis, &c. cum similibus; Aut aliàs insinuatam clausulam in inhibitionibus super iudicio diffamationis vel iactationum, dummodo molestiæ non sint judicialiter illatæ. *Rotas dec. 302. Bich. dec. 462. in fin. Gregor. & add. dec. 119. Danoz. et. dec. 847.*

Cadit autem dubitatio, an idem dicendum sit ubi dicta clausula sit omissa, sed tanquam apponi solita, subintelligenda sit, præsertim verò prædicta in iudicio diffamationis dummodo molestiæ non sint judiciales, atque aliquando Signatura consuevit excusare.

Ac etiam omnino certa, & notoria nullitas, vel injustitia inhibitionis, quandoque excusare solet; Ut præsertim contingit in ea nullitate, quæ resultat ex claro defectu jurisdictionis, vel incompetentiæ. *Bich. dec. 448. in fin.*

43 Procedunt hæc, ubi agatur de actibus, qui per actum positivum, vel etiam negativum de novo fiant; Ubi verò agatur de continuatione juris, vel possessionis, in qua colligens, vel inhibitus reperitur, tunc intrant majores quæstiones; regula enim vulgaris, ac recepta est, quod qui continuat non attentat; Verùm plures limitationes ea recipit, super quarum verificatione quæstiones cadunt; Primò nempe, ut continuatio sit eo modo, quo prius ante appellationem vel inhibitionem possidebatur, cum possessione, clara, vera, & actuali, non autem instrumentali tantum ac turbida. *Manic. dec. 168. Caval. dec. 615. & in aliis de quibus proxime infra.* Secundò ut continuatio sit per viam private possessionis, non autem ubi judicialiter, & ex auctoritate alterius iudicis. *Cavaler. dicta decif. 615. Bich. dec. 381. in fin. Cata-*

cen. hereditatis 1. Februar. 1651. coram Cerro & sæpius.

Nisi pro continuatione jure proprio, ac privato, ad reprimendam alterius partis potentiam atque ad evitandum molestias de facto, adhibeatur auctoritas alterius Iudicis, non tanquam Iudicis, & in forma judiciali, sed tanquam viri potentis, qui cum ejus familia assistentiam de facto sibi præstet; In hoc autem circumspicte procedi solet, ne sub hoc prætextu, fraus legi fiat, ad instar eorum, quæ in materia recursum inferius habentur *dissequi.*

44 Tertia huic regulæ continuationem permittenti limitatio traditur, in casu inhibitionis, ac etiam litis, quoties ista in specie sit super ipsa possessione, vel ejus continuatione. *apud Bich. dicta decif. 381. in fin. dec. 132. n. 9. par. 11. rec. Rossanen. juris patronatus 10. Februarii 1653. coram Cerro. Romana attentatorum 4. Junii 1663. coram V. Comite. & sæpius.* Verùm & in istius limitationis præxi, vel admissione, nimium circumspicte procedendum est, ut scilicet recipienda veniat, quando ipsa possessio turbida sit, atque hinc inde illa prætentatur, unde propterea, super ejus actuali exercitio, scandala, & inconvenientia oriri possint, & de consequenti, inhibito mature deluper proderit, tanquam per speciem sequestri provisionalis, de quo supra, vel suspensionis, ac implicitæ avocationis possessionis penes ipsum Iudicem inhibentem, juxta varios Tribunalium, vel Ditionum stylos; Non autem, ut ob illam inhibitionem, quæ pro consueta formula expediri solet cum prima citatione, vel ob alteram, quæ expeditur in vim litis pendentiæ, teneatur quis suam certam possessionem dimittere, cum id nullum juris fundamentum habere videatur; Ideoque id intellegendum venit, de illis formalibus inhibitionibus, quæ causa cognita, partibusque auditis, expresse, ac mature decernuntur, & quæ per Rotam non dantur, nisi cum formali disputatione dubii, ideoque earum usus nimium rarus est; si ve ut dictum est, tales essent facti circumstantiæ, quod possessionis exercitium, vel actus post inhibitionem in effectu redolerent innovationem sub pallio continuationis, ideoque non est propositio, quæ ita generaliter attendi prædicari debeat; Et tamen in facti contingentia, penè incredibile est, quam magnos labores adhibere oportuerit, in id suadendo aliquibus Iudicibus, qui cum his generalitatibus, in sola litera procedere solent, & qui propterea Advocatorum subtilitatibus, ac ratiociniis, hujusmodi distinctiones vel considerationes referre solent.

45 Pro evitanda, seu excusanda dicta necessitate purgationis attentatorum, ultra præmissa, & potissimum, ac principaliter ob dictam circumstantiam inanis circuitus, ratione boni juris, quoties non agatur de attentatis mera dolosis, & scandalosis, continentibus sprete positivum; ipsius boni juris inspectio assumi solet, rescribendo scilicet, ut videatur de bono jure, etiam ad effectum attentatorum; Verùm id certam non habet regulam cum sit arbitrarium, an & quando bonum jus attendi debeat, cum tamen regula sit in oppositum, ut boni juris exceptio in hac materia non attendatur. *Burat. & add. decif. 4. & 177. ubi concordantes.* Ad eoque ista videtur quæstio potius facti, & applicationis quam juris, non decidenda cum solis generalitatibus, sed cum singulorum casuum particularibus circumstantiis, prudenti Iudicis arbitrio pensandis.

Plures

Plures alia viæ, vel exceptiones competere solent, ex facti qualitate pariter regulandæ; Illa præsertim, quando ille, qui passus est attentatam postmodum passus est in causa principali procedi ad ulteriora, adeo ut ista patientia, quandam implicitam renunciationem dicto juri opponendi de attentatis, ac impediendi ulteriorem processum, redolere videatur. *Gregor. & add. dec. 91. & 243. dec. 132. & 284. par. 11. rec.*

46 Sive quod dici possit hæc actio præscripta, ob lapsum longi temporis, ob quem resultet præsumptio animi super illorum remissione; Ad instar eorum, quæ habemus in materia possessionis civilis, animo retentæ, quæ ob diurnam patientiam amittatur juxta declarationes de quibus infra in particulari sede possessori retinendæ; Aut ex eadem ratione, cui innixa est proxima limitatio, qua resultat ex patientia, ut procederetur ad ulteriora.

47 Quamvis enim hæc actio, vel exceptio purgationis attentatorum, cadat sub regula generali præscriptionis, quod scilicet agendo, non præscribatur, nisi per triginta, vel quadraginta annos, pro eorum qualitate, ac dummodo alia præscriptionis requisita concurrant, quæ nimium raro ad proximam deducuntur, ut infra in præscriptionum sede advertitur. *disc. 21.* ubi habetur quod facilius est præscriptio hujusmodi actionum, vel exceptionum concernentium ordinem judicii, quam ubi agatur de altera præscriptione rei principalis; Attamen, ut ibidem advertitur, ac etiam in generali Rubrica probationum; Aliud est considerare lapsum temporis, in ordine ad formalem præscriptionem actionis, vel exceptionis; Aliud verò in ordine ad probationem præsumptivam remissionis actionis, istaque distinctio pariter in facti contingencia aliquando reputari consuevit subtile ratiocinium.

48 Haberi quoque solet consideratio, an ad sit cursus attentatorum, hinc inde quoniam, licet regula sit, quod ultima attentata attenduntur, ac 49 revocari debent. *de. 2. par. 11. rec.* Attamen quandoque, pro facti qualitate, admitti solet regula compensativa delictorum hinc inde; Ac propterea congruit repetere id quod supra insinuatum est, quod scilicet ista materia, generaliter dicenda veniat, potius facti, quam juris, non regulanda pariformiter cum solis generalitatibus, sed pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, prudenti arbitrio.

50 Prout facti est potius, quam juris, eorumdem attentatorum justificatio, quoniam licet ista regulariter juxta sensum Rotæ concludens fieri debeat ex parte illius, qui attentata alleget, ideoque non admittantur attestaciones extrajudiciales, sive testes examinati ad futuram rei memoriam, aliæque probationes præsumptæ, & imperfectæ, unde propterea stylus Curie est, ut quando instatur pro attentatorum revocatione, promptè sit decretum ad favorem petentis, sed cum clausula *docto*, quæ redolet necessitatem perfectæ probationis, ob regulam contrariam, quod in dubio præsumenda non sunt delicta. *Buratt. dec. 644. dec. 131. par. 13. rec.*

51 Et ex qua regula manat altera propositio, quod in dubio respondendum est pro exclusione attentatorum, adeo ut si eadem die sequuta sit citatio, vel inhibicio, ac etiam sequutus sit actus, qui prætenditur attentatus, sed non constet, quinam actus præcesserit, regulariter respondendum venit pro exclusione attentatorum. *Deno-*

zett. decis. 847. Attamen, pariter discretè, atque pro facti qualitate, id intelligendum venit, cum aliquando, ob ejusdem attentatis malitiam, ac affectationem, in occultatione actus, vel ob ejusdem potentiam, seu alia impedimenta, haberi non possit probatio, unde propterea procedendum venit, cum adminiculis & præsumptionibus, ut infra in recursum materia advertitur *disc. sequ.* ut etiam de stylo procedit Auditor Camera; Et consequenter non semper procedendum est cum generalitatibus.

52 Quæstiones quoque super, attentatorum excusatione frequenter cadunt, ratione diversitatis causa, quod scilicet non verificetur illa copulativa identitas, quæ superius insinuata est, nempe rei, personarum, & actionis; Sive quod actus, qui attentatus prætenditur, sit extra rem in judicio deductam. *Cels. decis. 82. Buratt. & add. decis. 644. Dnoz. et. decis. 847.* Aut quod gesta sint per procuratorem, qui non poterat facere incidere principalem in pænam sine scientia & ratificatione; Verum hæc, & similia, certam juris regulam non recipiunt, sed ex facti qualitate, & circumstantiis pendunt; Et præsertim circa verisimilem, seu præsumptam scientiam principalis super iis, quæ gesta sint per procuratorem, vel cum eo, ex regula quod principalis censetur certioratus à procuratore; Unde propterea diversa adest praxis super attentatis, quæ fiant in Partibus post inhibitionem factam procuratori in Curia, sive post obtentam super sefforiam, adeundi Signaturam Justitiæ, vel Gratiæ, vel pendente recursum ad eam; isti etenim actus inhibitionis speciem redolent, & causant attentata. *de his Buratt. & add. decis. 177. & 63. Royas decis. 493. Bich. decis. 451.*

53 Cum successore quoque habentur quæstiones, an scilicet illum efficiant attentata prædecessoris; Sive quod lis, vel inhibicio cum prædecessore ipsum afficiat, atque gesta per eum dicenda sint attentata; Verum pariter à facti qualitate id pendet, an scilicet ipse suum jus metiatur à prædecessore, atque causam cum eo captam, in statu, & terminis prosequatur, vel potius veniat jure suo ex integro, ac omninò independentem; ideoque certam ac generalem regulam id non recipit. *Buratt. & add. decis. 278. Bich. decis. 300. Oshob. dec. 93. in fin.*

54 Idemque in quæstionibus quæ habeantur cum tertio, active, & passivè, an scilicet tertio obtent attentata, vel ipse de eis dare possit, cum eadem intrent distinctiones, activi, vel passivi usus actorum cum tertio. *decis. 243. par. 1. divers. Mant. dec. 31. Buratt. dec. 860. Royas dec. 173. & 493*

55 In literis Apostolicis, regulariter non dantur attentata, ex regula, quod Papa non attentat; Adhuc tamen, super illarum executione, rectè intrant, utpotè gesta à Parte, vel ab Exequutore, unde propterea frequens praxis docet sequens, de quo supra actum est *Gregor. & add. dec. 2. & 10. 152. par. 11. rec. tit. de benef. disc. 98. & sum. pra. disc. 13.*

56 Super natura quoque, vel qualitate sententiæ, vel decreti revocationis, vel purgationis attentatorum, quæstio cadit, an diffinitivi, vel interlocutorii speciem redoleat, & an suspensivam appellationem admittat necnè; Verum, & id certam non recipit regulam, sed à singulorum casuum circumstantiis decisionem expectat, quoniam licet regulariter attentans appellationis beneficio indignus reputeretur, potissimè verò ubi

ubi de illis attentatis agatur, quæ gesta sint in spectum appellationis, quoniam non debet quis potiri beneficio illius legis, quam contemnit; Adhuc tamen suspensiva appellatio congruè, quandoque cadere solet, non ab ipsis attentatis, eorumque purgatione (præsupposita eorum existentia), sed a mala declaratione ipsius existentie, quando attentata pendent ab alio puncto facti, vel juris, super quo quæstio existat probabiliter dubia; Ideoque desuper cadat Iudicis declaratio, à qua, non autem ab ipsis attentatis, appellatio suspensiva admittenda est. *decif. 52. par. 11. rec.* Eodem modo quo in literis Apostolicis, pluribusque similibus privilegiatis in iure habemus, ex deductis in appellationum Rubrica.

Ut puta sub probabili quæstione est, an lis legitime introducta dicatur, ac pendeat, nec ne, quia nempe ex parte illius, cui obijciuntur attentata, lite pendente, ista pendentia negetur; Sive sub quæstione sit, an decretum, vel sententia executioni demandata post interpositam appellationem, vel infra tempus datum ad appellandum, sit appellabilis, nec ne, unde propterea ille cui attentata obijciuntur, neget illorum fundamentum, ex natura vel privilegio causæ, cum similibus; Et tunc, quoties iste punctus non sit clarus, adeo ut sit affectata, & improbabilis probatio, ab ista declaratione intrat appellatio, quoniam in hoc Iudex decipi potuit; Ideoque firmum remanet, id quod pluries insinuatum est, atque penè generaliter in omnibus forensibus quæstionibus, dicendum videtur, quod scilicet, istæ sunt quæstiones, facti potius, & applicationis, quam juris pro facti particulari qualitate decidendæ, quodque erroneum est cum solis generalitatibus procedere; Eodem modo quo supra advertitur, circa interpositionem arbitrii super suspensione, vel rejectione purgationis, quod scilicet totum pendet ab attentatorum qualitate, & an sint dolosa, vel non dolosa, sive excusabilia, vel inexcusabilia; Vel circa modum purgationis, an sc. & quando sufficiat sola verbalis, mediante renunciatione illis actis, ex quibus attentata desumuntur, cum similibus.

Atque in hoc sensu generaliter recipienda est illa propositio, quod pauperis Doctoris est, procedere cum regulis generalibus; Id est quod iudicandum non est cum solis generalitatibus in abstracto, sed principaliter immorandum est super concreto, ac super congrua, regularum, & principiorum juris applicatione ad casum, spectata ratione, vel sine, ac effectu, ob quos juris regulæ prodierunt, non autem, ut Doctoris divitiæ consistant in contemptibili collectorum, seu pragmaticorum usu, replendi chartas inutiliter allegationibus extra propositum, vel sine congrua applicatione.

Super natura, seu qualitate sententiæ, vel decreti, pro revocatione attentatorum, quæstio cadit, an diffinitivi, vel interlocutorii speciem habeat; Regula verò est, juxta hanc secundam speciem, ea tamen plures recipit limitationes, & præsertim, ut eam non habeat interlocutorii naturam, quod idem Iudex reponere valeat, quod tamen à Tribunalium stylis nimium pendet. *de his Lancellor. de attent. par. 3. cap. 28. à num. 17. Gratian. discept. 55. Cavaler. decif. 376.*

Attentatorum autem revocationem peti non posse post conclusum in causa, in ea tamen instantia, plerique volunt. *Mantic. decif. 33. ubi allegantur Lancellor. & alii.* Quod tamen pariter pro

Tribunalium diverso stylo est recipiendum.

Super appellatione extrajudiciali, quæstio cadere solet, an causet attentata; Et licet opinionum diversitas dignoscatur; Attamen ab ipsis appellationis justitia, vel injustitia, sive ab actus natura, vel qualitate decisionem recipit, & an subiecta materia dilationem patiatur. *Vestr. in pr. l. 3. c. 7. Buratt. dec. 771. & 859. dec. 279. par. 9. rec. decif. 104. par. 10. & habetur in materia jurispatronatus, & in illa electionis.*

Excommunicationis exceptio non impedit quo minus opponatur de attentatis, eorumque revocatio petatur. *Gonzal. ad reg. 8. §. 7. proem. n. 239. Buratt. & add. decif. 72.*

Coram eo Iudice attentatorum revocatio peti debet, cuius majestas læsa fuit; Non tamen impeditum est coram Iudice alterius instantiæ eam peti, si in præcedenti instantia neglecta fuerit. *Buratt. & add. dec. 72. & 77. Bich. dec. 515. in fin.*

Quomodo autem purgata dicantur, & an sola verbalis renunciatio sufficiat, & an sufficiat renunciare in actis possessioni, aliisque actis, & quomodo hæc renunciatio fieri debeat, ex facti qualitate, ac singulorum casuum instantiis pendet, inspectato scilicet sine, vel effectu, non autem attenda verborum formalitate. *Buratt. decif. 126. Oithob. decif. 272. & 446. Coccin. decif. 371.*

Illorum attentatorum quæ lite pendente gesta prætentantur, non petitur revocatio, neque opponitur per eum, qui jurisdictionem declinavit. *Buratt. dec. 212. dec. 102. par. 6. rec.*

Equiparantur spolio violento, atque cum eisdem terminis regulantur. *Gregor. dec. 336. Buratt. & add. decif. 642.*

Actus consequutivi alteri actui, qui appellationem præcedat, non sunt attentati, nisi inhibitiio inter unum, & alium actum accedat. *Buratt. dec. 859. Gregor. dec. 251. dec. 426. par. 5. rec. Duno. c. 4. Dunozett. dec. 178. par. 10. rec.*

Quamvis autem contumax non verus, etiam post decem dies admittantur ad appellandum, ut in appellationis Rubrica advertitur; Non per hoc tamen executio post lapsum dictum terminum attentata dici potest, bene tamen ex capite injustitiæ revocanda venit. *Vestr. in prax. l. 8. c. 4. Dunozett. dec. 787.*

Quando verò attentata pendent à negotio principali, tunc de isto videri debere, antiquus est Rotæ stylus demandare. *Lancellor. p. 3. cap. 24. quæst. 19. dec. 574. par. 3. divers. l. 3.*

Præmissa verò, quæ magis in foro, atque in praxi frequentia memoria suppetit, vel disputandi occasio dedit, adnotasse sufficiat; Pro reliquis autem minus contingibilibus, apud eos, qui materiam ex professo tractant, sive apud practicæ formales professores, recurri poterit. *Lancellor. de attentat. ac etiam Ridolph. in praxi, aliique practici.*

De recursibus ad Magistratus sæculares in causis Ecclesiasticis, & spiritibus.

S V M M A R I U M.

- 1 INCURIA est frequens ista materia.
- 2 Vbi nam recursus sint frequentes.
- 3 De panis contra recurrentes.
- 4 De recursuum renunciatione, ac purgatione, in quo consistant.